

CLAUDIEN

DE BELLO POLLENTINO SIVE GETICO (665 vers)

PRAEFATIO

B_1 v.1 Post resides annos longo velut excita somno
 2 Romanis fruitur nostra Thalia choris.
 3 Optatos renovant eadem mihi culmina coetus
 4 personat et noto Pythia vate domus :
 5 consulis hic fasces cecini Libyamque receptam,
 6 hic mihi prostratis bella canenda Getis.
 7 Sed prior effigiem tribuit successus ahenam,
 8 oraque patricius nostra dicavit honos ;
 9 annuit hic princeps titulum poscente senatu.
 10 Respice iudicium quam grave, Musa, subis !
 11 Ingenio minuit merces properata favorem.
 12 Carminibus veniam praemia tanta negant ;
 13 et magis intento studium censore laborat,
 14 quod legimur medio conspicimurque foro.
 15 Materies tamen ipsa juvat solitumque timorem
 16 dicturo magna sedula parte levat.
 17 Nam mihi conciliat gratas impensius aures
 18 vel meritum belli vel Stilichonis amor.

DE BELLO POLLENTINO SIVE GOTICO

B_2 v.1 Intacti cum claustra freti, coeuntibus aequor
 2 armatum scopulis, audax inrumperet Argo
 3 Aetam Colchosque petens, propiore periclo
 4 omnibus attonitis, solus post numina Tiphys
 5 incolumem tenui damno servasse carinam
 6 fertur et ancipitem montis vitasse ruinam
 7 deceptoque vagae concursu rupis in altum
 8 victricem duxisse ratem ; stupuere superbae
 9 arte viri domitae Symplegades et nova passae
 10 jura soli cunctis faciles jam puppibus haerent,
 11 ut vinci didicere semel. Quodsi ardua Tiphyn
 12 navis ob innocuae meritum sic gloria vexit,
 13 quae tibi pro tanti pulso discrimine regni
 14 sufficient laudes, Stilicho ? Licet omnia vates
 15 in majus celebrata ferant ipsamque secandis
 16 Argois trabibus jactent sudasse Minervam
 17 nec nemoris muti junxisse carentia sensu
 18 robora, sed caeso Tomari Jovis augure luco
 19 arbore praesaga tabulas animasse loquaces ;
 20 plurima sic quamvis variis miracula monstris
 21 ingeminent, teneras victuri carmine mentes,
 22 Harpyiasque truces insopitisque refusum
 23 tractibus aurati custodem velleris anguem
 24 et juga taurorum rapidis ambusta favillis
 25 et virides galeis sulcos fetasque novales
 26 Martis et in segetem crescentis semina belli :
 27 nil veris aequale dabunt. Prohibere rapaces
 28 scilicet Harpyias unaque excludere mensa
 29 nobilior titulus, quam tot potuisse paratas

30 in Latii praedam Geticas avertere fauces ?
 31 Anne ego terrigenas potius mirabor in ipsis
 32 procubuisse satis, vitae quibus attulit idem
 33 principium finemque dies, quam caesa Getarum
 34 agmina, quos tantis aluit Bellona tropaeis
 35 totaque sub galeis Mavortia canuit aetas ?
 36 Per te namque unum mediis exuta tenebris
 37 imperio sua forma redit, claustrisque solutae
 38 tristibus exangues audent procedere leges.
 39 Jamque potestates priscus discriminat ordo
 40 justitiae, quas ante pares effecerat una
 41 nube timor. Tua nos urgenti dextera leto
 42 eripuit, tectisque suis redduntur et agris
 43 damnati fato populi, virtute renati.
 44 Jam non in pecorum morem formidine clausi
 45 prospicimus saevos campis ardentibus ignes
 46 alta nec incertis metimur flumina votis
 47 excidio latura moram nec poscimus amnes
 48 undosam servare fidem nubesque fugaces
 49 aut conjuratum querimur splendere serenum.
 50 Ipsa quoque internis Furiis exercita plebis
 51 securas jam Roma leva tranquillior arces ;
 52 surge, precor, veneranda parens, et certa secundis
 53 fide deis humilemque metum depone senectae.
 54 Urbs aequaeva polo, tum demum ferrea sumet
 55 jus in te Lachesis, cum sic mutaverit axem
 56 foederibus natura novis, ut flumine verso
 57 irriget Aegyptum Tanais, Maeotida Nilus,
 58 Eurus ab occasu, Zephyrus se promat ab Indis
 59 Caucasiisque jugis calido nigrantibus Austro
 60 Gaetulas Aquilo glacie constringat harenas.
 61 Fatales hucusque manus ; crebrisque notatae
 62 prodigiis abiere minae. Nec sidera pacem
 63 semper habent, ipsumque Jovem turbante Typhoeo,
 64 Si fas est, tremuisse ferunt, cum brachia centum
 65 Montibus armaret totidem spiramque retorquens
 66 lamberet attonitas erectis anguibus Arctos.
 67 Quid mirum, si regna labor mortalia vexat,
 68 cum gemini fratres, genuit quos asper Aloeus,
 69 Martem subdiderint vinclis et in astra negatas
 70 temptarint munire vias steteritque revulsis
 71 paene tribus scopulis caelesti machina bello ?
 72 Sed caret eventu nimius furor ; improba numquam
 73 spes laetata diu nec pervenere juventae
 74 robur Aloidae, dum vellere Pelion Otus
 75 nititur, occubuit Phoebo, moriensque Ephialtes
 76 in latum obliquam projecit languidus Ossam.
 77 Aspice, Roma, tuum jam vertice celsior hostem,
 78 aspice quam rarum referens inglorius agmen
 79 Italia detrusus eat quantumque priori
 80 dissimilis, qui cuncta sibi cessura ruenti
 81 pollicitus patrii numen juraverat Histri
 82 Non nisi calcatis loricam ponere rostris.
 83 O rerum fatique vices ! Qui foeda parabat
 84 Romanas ad stupra nurus, sua pignora vidit
 85 conjugibus permixta trahi ; qui mente profundas
 86 hauserat urbis opes, ultro victoribus ipse
 87 praeda fuit ; nostri quondam qui militis auro

88 aggressus temptare fidem, desertus ab omni
89 gente sua manibusque redit truncatus et armis.
90 Hoc quoque, quod veniam leti valere mereri,
91 Si positis pendas odiis : ignoscere pulchrum
92 jam misero poenaeque genus vidisse precantem.
93 Quae vindicta prior quam cum formido superbos
94 flectit et assuetum spoliis affligit egestas ?
95 Sed magis ex aliis fluxit clementia causis.
96 Consulitur dum, Roma, tibi, tua cura coegit
97 inclusis aperire fugam, ne pejor in arto
98 saeviret rabies venturae conscia mortis ;
99 nec tanti nomen stirpemque abolere Getarum,
100 ut propius peterere, fuit. Procul arceat altus
101 Juppiter, ut delubra Numae sedesque Quirini
102 Barbaries oculis saltem temerare profanis
103 possit et arcanum tanti deprendere regni.
104 Quamquam, si veterum certamina rite recordor,
105 tunc etiam, pulchra cum libertate vigerent
106 et proprio late florerent milite patres,
107 semper ab his famae petiere insignia bellis,
108 quae diversa procul tuto trans aequora vires
109 exercere dabant : currus regumque catenae
110 inter abundantis fati ludibria ductae.
111 At vero Italiam quotiens circumstetit atrox
112 tempestas ipsumque caput laesura pependit,
113 Non illis vani ratio ventosa furoris,
114 sed graviter spectata salus ductorque placebat
115 Non qui praecipiti traheret semel omnia casu,
116 sed qui maturo vel laeta vel aspera rerum
117 consilio momenta regens, nec tristibus impar
118 nec pro successu nimius, spatiumque morandi
119 vincendique modum mutatis nosset habenis.
120 Cautius ingentes morbos et proxima cordi
121 ulcera Paeoniae tractat sollertia curae
122 parcendoque secat, ferro ne largius acto
123 inrevocandus eat sectis vitalibus error.
124 Sublimi certe Curium canit ore vetustas,
125 Aeaciden Italo pepulit qui litore Pyrrhum,
126 nec magis insignis Pauli Mariique triumphus,
127 qui captos niveis reges egere quadrigis ;
128 plus fuga laudatur Pyrrhi quam vincla Jugurthae ;
129 et, quamvis gemina fessum jam clade fugavit,
130 post Decii lituos et nulli pervia culpae
131 pectora Fabricii, donis invicta vel armis,
132 plena datur Curio pulsi victoria Pyrrhi.
133 Quanto majus opus solo Stilichone peractum
134 cernimus ! Hic validam gentem, quam dura nivosis
135 educat Ursa plagis, non Chaonas atque Molossos,
136 quos Epirus alit, nec Dodonaea subegit
137 agmina fatidicam frustra jactantia quercum.
138 Primus fulmineum lento luctamine Poenum
139 compressit Fabius, campo post ausus aperto
140 Marcellus vinci docuit, sed tertia virtus
141 Scipiadae Latiis tandem deterruit oris.
142 Unus in hoc Stilicho diversis artibus hoste
143 tris potuit complere duces fregitque furentem
144 cunctando vicitque manu victumque relegat.
145 Atque haec tanta brevi. Miscentem incendia Pyrrhum

146 sustinuit toto maerens Oenotria lustro,
147 et prope ter senas Itali per graminis herbas
148 Massylus Poeno sonipes vastante cucurrit
149 Hannibalemque senem vix ad sua reppulit arva
150 vindex sera patrum post bellum nata juvenus.
151 Hic celer effecit, bruma ne longior una
152 esset hiems rerum, primis sed mensibus aestas
153 temperiem caelo pariter belloque referret.
154 Sed quid ego Hannibalem contra Pyrrhumque tot annis
155 Certatum memorem, vilis cum Spartacus omne
156 per latus Italiae ferro bacchatus et igni
157 consulibusque palam totiens congressus inertes
158 exuerit castris dominos et strage pudenda
159 fuderit imbelles aquilas servilibus armis.
160 Nos terrorum expers et luxu mollior aetas
161 deficiamus queruli, si bos abductus aratro,
162 Si libata seges. Non hanc ergastula nobis
163 inmisere manum nec conjurantis harenae
164 turba fuit ; qualem Stilicho dejecerit hostem,
165 Thraces et Haemonii poterunt Moesique fateri.
166 Frigida ter decies nudatum frondibus Haemum
167 tendit hiems vestire gelu totidemque solutis
168 ver nivibus viridem monti reparavit amictum,
169 ex quo jam patrios gens haec oblita Triones
170 atque Histrum transvecta semel vestigia fixit
171 Threicio funesta solo : seu fata vocabant
172 seu gravis ira deum, seriem meditata ruinis.
173 Ex illo, quocumque vagos impegit Erinys,
174 grandinis aut morbi ritu per devia rerum,
175 praecipites per clausa ruunt, nec contigit ullis
176 amnibus aut scopulis proprias defendere terras.
177 Nil Rhodope, nil vastus Athos, nil profuit Hebrus
178 Odrysiis ; facili contemptum Strymona saltu
179 et frustra rapidum damnant Haliacmona Bessi.
180 Nubibus intactum Macedo miratur Olympum
181 more pererratum campi ; gemit irrita Tempe
182 Thessalus et domitis irrisam cautibus Oeten.
183 Sperchiusque et virginibus dilectus Enipeus
184 Barbaricas lavere comas. Non obice Pindi
185 servati Dryopes nec nubifer Actia textit
186 litora Leucates ; ipsae, quae durius olim
187 restiterant Medis, primo conamine ruptae
188 Thermopylae ; vallata mari Scironia rupes
189 et duo continuo conectens aequora muro
190 Isthmos et angusti patuerunt claustra Lechaei ;
191 nec tibi Parrhasios licuit munire colonos
192 frondosis, Erymanthe, jugis, equitataque summi
193 culmina Taygeti trepidae vidistis Amyclae.
194 Tandem supplicium cunctis pro montibus Alpes
195 exegere Getis ; tandem tot flumina victor
196 vindicat Eridanus. Docuit nunc exitus alte
197 fatorum secreta regi. Quisquamne reclusis
198 Alpibus ulterius Latii fore credidit umbram ?
199 Nonne velut capta rumor miserabilis urbe
200 trans freta, trans Gallos Pyrenaeumque cucurrit ?
201 Famaque nigrantes succincta pavoribus alas
202 secum cuncta trahens a Gadibus usque Britannum
203 terruit Oceanum et nostro procul axe remotam

204 insolito belli tremefecit murmure Thylen ?
 205 Mandemusne Noti flabris quoscumque timores
 206 pertulimus, festae doleant ne tristibus aures ?
 207 An potius meminisse juvat semperque vicissim
 208 gaudia praemissi cumulant inopina dolores ?
 209 Utque sub occidua jactatis Pleiade nautis
 210 commendat placidum maris inclementia portum,
 211 sic mihi tunc major Stilicho, cum laeta periclis
 212 metior atque illi redeunt in corda tumultus.
 213 Nonne videbantur, quamvis adamante rigentes,
 214 turribus invalidis fragiles procumbere muri
 215 ferrataeque Getis ultro se pandere portae ?
 216 Nec vallum densaeque sudas arcere volantes
 217 cornipedum saltus ? Jamjam conscendere puppes
 218 Sardoniosque habitare sinus et inhospita Cyrni
 219 saxa parant vitamque freto spumante tueri.
 220 Ipsa etiam diffisa brevi Trinacria ponto,
 221 si rerum natura sinat, discedere longe
 222 optat et Ionium refugo laxare Peloro.
 223 Fultaque despiciens auro laquearia dives
 224 tutior Aeoliis mallet vixisse cavernis ;
 225 jamque oneri creduntur opes tandemque libido
 226 haesit avaritiae gravioribus obruta curis.
 227 Utque est ingenioque loquax et plurima fingi
 228 permittens credique timor, tunc somnia vulgo
 229 narrari, tunc monstra deum monitusque sinistri :
 230 quid meditentur aves, quid cum mortalibus aether
 231 fulmineo velit igne loqui, quid carmine poscat
 232 fatidico custos Romani carbasus aevi.
 233 Territat assiduus lunae labor atraque Phoebe
 234 noctibus aerisonas crebris ululata per urbes.
 235 Nec credunt vetito fraudatam Sole sororem
 236 telluris subeunte globo, sed castra secutas
 237 barbara Thessalidas patriis lunare venenis
 238 incestare jubar. Tunc anni signa prioris
 239 et si quod fortasse quies neglexerat omen,
 240 addit cura novis : lapidosos grandinis ictus
 241 molitasque examen apes passimque crematas
 242 perbacchata domos nullis incendia causis
 243 et numquam caelo spectatum impune cometem,
 244 qui primum roseo Phoebi prolatus ab ortu,
 245 qua micat astrigera senior cum conjuge Cepheus ;
 246 inde Lycaoniam paulatim expulsus ad Arcton
 247 crine vago Getici foedavit sidera Plaustri,
 248 donec in exiguum moriens vanesceret ignem.
 249 Sed gravius mentes caesorum ostenta luporum
 250 horrificant. Duo quippe lupi sub principis ora,
 251 dum campis exercet equos, violenter adorti
 252 agmen et excepti telis inmane relatu
 253 prodigium miramque notam duxere futuri.
 254 Nam simul humano geminas de corpore palmas
 255 utraque perfossis emisit belua costis :
 256 illo laeva tremens, hoc dextera ventre latebat
 257 intentis ambae digitis et sanguine vivo.
 258 Scrutari si vera velis, fera nuntia Martis
 259 ora sub Augusti casurum prodidit hostem,
 260 utque manus utero virides patuere relecto,
 261 Romula post ruptas virtus sic emicat Alpes.

262 Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
 263 augurium pejore via : truncataque membra
 264 nutricemque lupam Romae regnoque minari.
 265 Tunc reputant annos interceptoque volatu
 266 vulturis incidunt properatis saecula metis.
 267 Solus erat Stilicho, qui desperantibus augur
 268 sponderet meliora manu, dubiaeque salutis
 269 dux idem vatesque fuit. " Durate parumper",
 270 inquit, "et excussis muliebribus ore querellis
 271 fatorum toleremus onus. Nil nautica prosunt
 272 turbatae lamenta rati nec segnibus undae
 273 planctibus aut vanis mitescunt flamina votis.
 274 Nunc instare manu, toto nunc robore niti
 275 communi pro luce decet : succurrere velis,
 276 exhaurire fretum, varios aptare rudentes
 277 omnibus et docti jussi parere magistri.
 278 Non, si perfidia nacti penetrabile tempus
 279 irrupere Getae, nostras dum Raetia vires
 280 occupat atque alio desudant Marte cohortes,
 281 idcirco spes omnis abit. Mirabile posset
 282 esse mihi, si fraude nova vel calle reperto
 283 barbarus ignotas invaderet inscius Alpes ;
 284 Nunc vero geminis clades repetita tyrannis
 285 famosum vulgavit iter nec nota fefellit
 286 semita praestructum bellis civilibus hostem.
 287 Per solitas venere vias, aditusque sequendos
 288 Barbarico Romana dedit discordia bello.
 289 "Sed nec praeteritis haec res incognita saeculis :
 290 saepe lacessitam, sed non impune, fatemur
 291 Ausoniam. Haec Senonum restinxit sanguine flammis,
 292 haec et Teutonico quondam patefacta furori
 293 colla catenati vidit squalentia Cimbri.
 294 Vile decus, quod non erexit praevious horror ;
 295 ingentes generant discrimina magna triumphos.
 296 " Quid turpes jam mente fugas, quid Gallica rura
 297 respicitis Latioque libet post terga relicto
 298 longinquum profugis Ararim praecingere castris ?
 299 Scilicet Arctois concessa gentibus urbe
 300 considet regnum Rhodano capitique superstes
 301 truncus erit ? Vestros stimulant si pignora sensus,
 302 me quoque non impar naturae cura remordet,
 303 nec ferro sic corda rigent ut nosse recusem
 304 quam sanctum soceri nomen, quam dulce mariti,
 305 quantus prolis amor. Sed numquam oblita decoris
 306 obscenam latebram pietas ignava requiret.
 307 Nec vobis fortis monitor, mihi cautior uni.
 308 Hic conjunx, hic progenies, hic carior omni
 309 luce gener ; pars nulla mei subducta procellae.
 310 Accipe tu nostrae, tellus Oenotria, mentis
 311 vincula communes tecum subeuntia casus,
 312 exiguumque moram muris impende tuendis,
 313 dum redeo lectum referens in classica robur."
 314 His dictis pavidi firmavit inertia vulgi
 315 pectora migrantisque fugam compescuit aulae ;
 316 ausaque tum primum tenebris emergere pulsas
 317 Hesperia, ut secum junxisse pericula vidit
 318 Augustum, tantoque sui stetit obside fati.
 319 Protinus, umbrosa vestit qua litus oliva

320 Larius et dulci mentitur Nerea fluctu,
 321 parva puppe lacum praetervolat ; ocius inde
 322 scandit inaccessos brumali sidere montes
 323 nil hiemis caelive memor. Sic ille relinquens
 324 jejunos antro catulos inmanior exit
 325 hiberna sub nocte leo tacitusque per altas
 326 incedit furiale nives ; stant colla pruinis
 327 aspera ; flaventes astringit stiria saetas ;
 328 nec meminit leti nimbosve aut frigora curat,
 329 dum natis alimenta parat. Sublimis in Arcton
 330 prominet Hercyniae confinis Raetia silvae,
 331 quae se Danuvii jactat Rhenique parentem
 332 utraque Romuleo praetendens flumina regno :
 333 primo fonte breves, alto mox gurgite regnant
 334 et fluvios cogunt unda coeunte minores
 335 in nomen transire suum. Te Cimbrica Tethys
 336 divisum bifido consumit, Rhene, meatu ;
 337 Thracia quinque vadis Histrum vorat Amphitrite :
 338 ambo habiles remis, ambo glacialia secti
 339 tergo rotis, ambo Boreae Martique sodales.
 340 Sed latus, Hesperiae quo Raetia jungitur orae,
 341 praeruptis ferit astra jugis panditque tremendam
 342 vix aestate viam. Multi ceu Gorgone visa
 343 obriguere gelu ; multos hausere profundae
 344 vasta mole nives, cumque ipsis saepe juvencis
 345 naufraga candenti merguntur plaustra barathro.
 346 Interdum subitam glacie labente ruinam
 347 mons dedit et tepidis fundamina subruit astris
 348 pendenti male fida solo. Per talia tendit
 349 frigoribus mediis Stilicho loca. Nulla Lyaei
 350 pocula ; rara Ceres ; raptos contentus in armis
 351 delibasse cibos madidoque oneratus amictu
 352 algentem pulsabat equum. Nec mollia fesso
 353 strata dedere torum ; tenebris si caeca repressit
 354 Nox iter, aut spelaea subit metuenda ferarum
 355 aut pastorali jacuit sub culmine fultus
 356 cervicem clipeo. Stat pallidus hospite magno
 357 pastor et ignoto praeclarum nomine vultum
 358 rustica sordenti genetrix ostendit alumno.
 359 Illa sub horrendis praedura cubilia silvis,
 360 illi sub nivibus somni curaeque laborque
 361 pervigil hanc requiem terris, haec otia rebus
 362 insperata dabant ; illae tibi, Roma, salutem
 363 Alpinae peperere casae. Jam foedera gentes
 364 exuerant Latique audita clade feroces
 365 Vindelicos saltus et Norica rura tenebant.
 366 Ac veluti famuli, mendax quos mortis erilis
 367 nuntius in luxum falso rumore resolvit,
 368 dum marcent epulis atque inter vina chorosque
 369 persultat vacuis effrena licentia tectis,
 370 si reducem dominum sors improvisa revexit,
 371 haerent attoniti libertatemque perosus
 372 conscia servilis praecordia concutit horror :
 373 sic ducis aspectu cuncti stupere rebelles,
 374 inque uno principium Latiumque et tota refulsit
 375 Roma viro. Frons laeta parum, non tristior aequo,
 376 non dejecta malis, mixta sed nobilis ira :
 377 qualis in Herculeo, quotiens infanda jubebat

378 Eurystheus, fuit ore dolor vel qualis in atram
 379 sollicitus nubem maesto Jove cogitur aether.
 380 "Tantane vos", inquit, "Getici fiducia belli
 381 erigit ? Hinc animo frustra tumuistis inani ?
 382 Non ita Romanum fati violentia nomen
 383 opprimit, ut vestros nequeat punire tumultus
 384 parte sui. Ne vos longe sermone petito
 385 demorer, exemplum veteris cognoscite facti :
 386 cum ferus Ausonias perfringeret Hannibal arces
 387 et Trebiam saevo geminassent funere Cannae,
 388 nequiquam Emathium pepulit spes vana Philippum,
 389 ut velut afflictos ferro temptaret inertii.
 390 Romanos commovit atrox injuria patres,
 391 urgerent majora licet, graviterque tulere,
 392 urbibus inter se claris de culmine rerum
 393 congressis, aliquid gentes audere minores.
 394 Nec poenam differre placet, sed bella gerenti
 395 Punica Laevino regis quoque proelia mandant.
 396 Paruit imperiis consul, fususque Philippus,
 397 vilia dum gravibus populis interserit arma,
 398 praetereunte manu didicit non esse potentum
 399 temptandas, mediis quamvis in luctibus, iras."
 400 Hoc monitu pariter nascentia bella repressit
 401 et bello quaesivit opes legitque precantes
 402 auxilio mensus numerum, qui congruus esset
 403 nec gravis Italiae formidandusve regenti.
 404 Nec minus accepto nostrae rumore cohortes
 405 (sic ducis urget amor) properantibus undique signis
 406 conveniunt, visoque animi Stilichone recepti
 407 singultus varios lacrimosaque gaudia miscent :
 408 sic armenta boum, vastis quae turbida silvis
 409 sparsit hiems, cantus ac sibila nota magistri
 410 certatim repetunt et avitae pascua vallis
 411 inque vicem se voce regunt gaudentque fideles
 412 reddere mugitus et, qua sonus attigit aurem,
 413 rara per obscuras apparent cornua frondes.
 414 Adcurrit vicina manus, quam Raetia nuper
 415 Vandalicis auctam spoliis defensa probavit ;
 416 venit et extremis legio praetenta Britannis,
 417 quae Scotto dat frena truci ferroque notatas
 418 perlegit exanimes Picto moriente figuras ;
 419 agmina quin etiam flavis objecta Sygambris
 420 quaeque domant Chattos inmansuetosque Cheruscos,
 421 huc omnes vertere minas tutumque remotis
 422 excubiis Rhenum solo terrore relinquunt.
 423 Ullane posteritas credet ? Germania quondam
 424 illa ferox populis, quae vix instantibus olim
 425 principibus tota poterat cum mole teneri,
 426 jam sese placidam praebet Stilichonis habenis,
 427 ut nec praesidiis nudato limite temptet
 428 expositum calcare solum nec transeat amnem,
 429 incustoditam metuens attingere ripam.
 430 Celsior o cunctis unique aequande Camillo !
 431 Vestris namque armis Alarici fracta quievit
 432 ac Brenni rabies ; confusis rebus uterque
 433 divinam tribuistis opem, sed tardior ille
 434 jam captae vindex patriae, tu sospitis ultor.
 435 O quantum mutata tuo fortuna regressu !

436 Ut sese pariter diffundit in omnia regni
 437 membra vigor vivusque redit color urbibus aegris !
 438 Creditur Herculeis lucem renovare lacertis
 439 femina dilecti fati impensa mariti.
 440 Et juvenem spretae laniatum fraude novercae
 441 Non sine Circaeis Latonia reddidit herbis.
 442 Cretaque, si verax narratur fabula, vidit
 443 Minoum rupto puerum prodire sepulchro,
 444 quem senior vates avium clangore repertum
 445 gramine restituit ; mirae nam munere sortis
 446 dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.
 447 At tuus adventus non unum corpus ab umbris,
 448 sed tot communi populos sub morte jacentes
 449 totaque Tartareis e faucibus oppida traxit.
 450 Ipso Roma die (nec adhuc ostenditur auctor)
 451 personuit venisse ducem, laetisque Quirites
 452 vocibus auspiciam certi plausere triumpho,
 453 muniti Stilichone suo. Quis gaudia vero
 454 principis, amplexus alacris quis disserat aulae ?
 455 Pulveris ambiguum nubem speculamur ab altis
 456 turribus incerti, socios apportet an hostes
 457 ille globus. Mentem suspensa silentia librant,
 458 donec pulvereo sub turbine sideris instar
 459 emicuit Stilichonis apex et cognita fulsit
 460 canities. Gavisam repens per moenia clamor
 461 tollitur "Ipse venit". Portas secunda per omnes
 462 turba salutatis effunditur obviam signis.
 463 Non jam dilectus miseri nec falce per agros
 464 deposita jaculum vibrans ignobile messor
 465 nec temptans clipeum projectis sumere rastris
 466 Bellona ridente Ceres humilisque novorum
 467 seditio clamorosa ducum : sed vera juvenus,
 468 verus ductor adest et vivida Martis imago.
 469 Prospera sed quantum nostrae spes addita menti,
 470 tantum exempta Getis, qui vertice proximus astris
 471 post Alpes jam cuncta sibi promisit apertas
 472 nil superesse ratus, postquam tot lumina pubis,
 473 tot subitos pedites, equitum tot conspexit alas
 474 cinctaque fluminibus crebris ac moenibus arva
 475 seque velut clausum laqueis, sub pectore furtim
 476 aestuat et nimium pronum fervore petita
 477 jam piget Italiae, sperataque Roma teneri
 478 visa procul. Magni subeunt jam taedia coepti.
 479 Occultat tamen ore metum primosque suorum
 480 consultare jubet bellis annisque verendos.
 481 Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
 482 curia, quos plagis decorat numerosa cicatrix
 483 et tremulos regit hasta gradus et nititur altis
 484 pro baculo contis non exarmata senectus.
 485 Hic aliquis gravior natu, cui plurima dictis
 486 consiliisque fides, defixus lumina terrae
 487 concutiensque comam capuloque adclinis eburno :
 488 "Si numero non fallor", ait, "tricesima currit
 489 bruma fere, rapidum postquam transavimus Histrum,
 490 Romanamque manum tantis eludimus annis.
 491 Sed numquam Mavors adeo constrinxit in artum
 492 res, Alarice, tuas. Per tot certamina docto
 493 crede seni, qui te tenero vice patris ab aevo

494 gestatum parva solitus donare pharetra
495 atque aptare breves umeris puerilibus arcus :
496 saepe quidem frustra monui, servator ut icti
497 foederis Emathia tutus tellure maneres ;
498 sed quoniam calidae rapuit te flamma juventae,
499 Nunc saltem, si cura tibi manet ulla tuorum,
500 his claustris evade, precor, dumque agmina longe,
501 dum licet, Hesperiiis praeceps elabere terris,
502 ne nova praedari cupiens et parta reponas
503 pastorique lupus scelerum delicta priorum
504 intra saepta luas. Quid palmitis uber Etrusci,
505 quid mihi nescio quam proprio cum Thybride Romam
506 semper in ore geris ? Referunt si vera parentes,
507 hanc urbem insano nullus qui Marte petivit
508 laetatus violasse redit ; nec numina sedem
509 destituunt : jactata procul dicuntur in hostem
510 fulmina divinique volant pro moenibus ignes,
511 seu caelum seu Roma tonat. Si temnis Olympum,
512 a magno Stilichone cave, qui semper iniquos
513 Fortuna famulante premit. Scis ipse, per oras
514 Arcadiae quam densa rogis cumulaverit ossa,
515 sanguine quam largo Graios calefecerit amnes ;
516 extinctusque fores, ni te sub nomine legum
517 proditio regnique favor texisset Eoi."
518 talia grandaevum flammata fronte loquentem
519 obliquisque tuens oculis non pertulit ultra,
520 sed rupit rabidas accensa superbia voces :
521 "Si non mentis inops fraudataque sensibus aetas
522 praeberet veniam, numquam haec opprobria linguae
523 turpia Danuvius me sospite ferret inultus.
524 Anne, tot Augustos Hebro qui teste fugavi,
525 te patiar suadente fugam, cum cesserit omnis
526 obsequiis natura meis ? Subsistere nostris
527 sub pedibus montes, arescere vidimus amnes.
528 Non ita di Getici faxint Manesque parentum,
529 ut mea converso relegam vestigia cursu.
530 Hanc ego vel victor regno vel morte tenebo
531 victus humum. Per tot populos urbesque cucurri,
532 fregi Alpes galeisque Padum victricibus hausi :
533 quid restat nisi Roma mihi ? Gens robore nostra
534 tum quoque pollebat, nullis cum fideret armis.
535 At nunc Illyrici postquam mihi tradita jura
536 meque suum fecere duces, tot tela, tot enses,
537 tot galeas multo Thracum sudore paravi
538 inque meos usus vectigal vertere ferri
539 oppida legitimo jussu Romana coegi.
540 Sic me fata fovent ; ipsi, quos omnibus annis
541 vastabam, servire dati : nocitura gementes
542 arma dabant flammisque diu mollitus et arte
543 in sua damna chalybs fabro lugente rubebat.
544 Hortantes his adde deos. Non somnia nobis
545 nec volucres, sed clara palam vox edita luco :
546 'Rumpe omnes, Alarice, moras ; hoc impiger anno
547 Alpibus Italiae ruptis penetrabis ad urbem.'
548 Huc iter usque datur. Quis jam post talia segnis
549 ambigat aut caelo dubitet parere vocanti ? "
550 Sic ait hortatusque suos belloque viaeque
551 instruit. Attollunt vanos oracula fastus.

552 O semper tacita sortes ambage malignae
 553 eventaque patens et nescia vatibus ipsis
 554 veri sera fides ! Ligurum regione suprema
 555 pervenit ad fluvium miri cognominis "Urbem",
 556 atque illic domitus vix tandem interprete casu
 557 agnovit dubiis illusa vocabula fati.
 558 Nec non et Stilicho pugnam poscentia movit
 559 pleno castra gradu dictisque instigat euntes :
 560 "Nunc nunc, o socii, temeratae sumite tandem
 561 Italiae poenas, obsessi principis armis
 562 excusate nefas deploratumque Timavo
 563 vulnus et Alpinum gladiis abolete pudorem.
 564 Hic est, quem totiens campis fudistis Achivis,
 565 quem discors odiisque anceps civilibus orbis,
 566 non sua vis tutata diu, dum foedera fallax
 567 ludit et alternae perjuria venditat aulae.
 568 Credite nunc omnes, quas dira Britannia gentes,
 569 quas Hister, quas Rhenus alit, pendere paratas
 570 in speculis : uno tot proelia vincite bello.
 571 Romanum reparate decus molemque labantis
 572 imperii fulcite umeris ; hic omnia campus
 573 vindicat, haec mundo pacem victoria sancit.
 574 Non in Threiciis Haemi decernimus oris
 575 nec super Alpheas umbrantia Maenala ripas
 576 constitimus ; non hic Tegean Argosque tuemur :
 577 visceribus mediis ipsoque in corde videtis
 578 bella geri. Patrem clipeis defendite Thybrim."
 579 Talia nunc pediti, turmae nunc mixtus equestri
 580 dicta dabat. Simul externis praecepta ferebat
 581 auxiliis. Ibat patiens dicionis Alanus,
 582 qua nostrae jussere tubae, mortemque petebat
 583 pro Latio docuit gentes praefectus Alanae,
 584 cui natura breves animis ingentibus artus
 585 finxerat inmanique oculos infecerat ira ;
 586 vulneribus pars nulla vacat rescissaque contis
 587 gloria foedati splendet jactantior oris.
 588 Ille tamen mandante procul Stilichone citatis
 589 acceleravit equis Italamque momordit harenam.
 590 Felix Elysiisque plagis et carmine dignus,
 591 qui male suspectam nobis impensius arsit
 592 vel leto purgare fidem ; qui iudice ferro
 593 diluit inmeritum laudato sanguine crimen !
 594 Morte viri turbatus eques flectebat habenas
 595 totaque praeciso nutassent agmina cornu,
 596 ni celer instructa Stilicho legione secutus
 597 subsidiis peditum pugnam instaurasset equestrem.
 598 Quis Musis ipsoque licet Paeane recepto
 599 enarrare queat, quantum Gradivus in illa
 600 luce suae dederit fundator originis urbi ?
 601 Altius haud umquam toto descendimus ense
 602 in jugulum Scythiae, tanta nec clade superbum
 603 contudimus Tanain vel cornua fregimus Histri.
 604 Invisum miles sitiens haurire cruorem
 605 per varias vestes onerataque plaustra metallo
 606 transit et argenti cumulos et caedis avarus
 607 contemptas proculcat opes ; pretiosior auro
 608 sanguis erat ; passim neglecti prodiga lucri
 609 turba furens strictis odium mucronibus explet.

610 Purpureos cultus absumptique igne Valentis
611 exuvias miserisque graves crateras ab Argis
612 raptaque flagranti spirantia signa Corinθο
613 callidus ante pedes venientibus obicit hostis
614 incassum ; neque enim feralis praeda moratur,
615 sed justos praebent stimulos monumenta doloris.
616 Asseritur ferro captivum vulgus, et omnes
617 diversae vocis populi, quos traxerat hostis
618 servitio, tandem dominorum strage redempti
619 blanda cruentatis affigunt oscula dextris
620 desertosque Lares et pignora laeta revisunt.
621 Miratur sua quemque domus cladesque renarrant
622 ordine ; tum grati referunt miracula belli.
623 Quis tibi tunc, Alarice, dolor, cum Marte perirent
624 divitiae spoliisque diu quaesita supellex
625 pulsaretque tuas ululatus conjugis aures,
626 conjugis, invicto dudum quae freta marito
627 demens Ausonidum gemmata monilia matrum
628 Romanasque alta famulas cervice petebat !
629 Scilicet Argolicas Ephyreiadasque puellas
630 coeperat et pulchras jam fastidire Lacaenas.
631 Sed dea quae nimiis obstat Rhamnusia votis
632 ingemuit flexitque rotam : domat aspera victos
633 pauperies, unoque die Romana rependit
634 quidquid ter denis acies amisimus annis.
635 O celebranda mihi cunctis Pollentia saeculis !
636 O meritum nomen ! Felicibus apta triumphis !
637 Virtutis fatale solum, memorabile bustum
638 Barbariae ! Nam saepe locis ac finibus illis
639 plena lacessito rediit vindicta Quirino.
640 Illic Oceani stagnis excita supremis
641 Cimbrica tempestas alias emissa per Alpes
642 isdem procubuit campis. Jam protinus aetas
643 adveniens geminae gentis permisceat ossa
644 et duplices signet titulos commune tropaeum :
645 "Hic Cimbros fortesque Getas, Stilichone peremptos
646 et Mario claris ducibus, tegit Itala tellus.
647 Discite vesanae Romam non temnere gentes."